



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 57. Decimò ex mandato Innocentii XI. facto Procuratoribus
Generalibus Ordinum Mendicantium, quo per eos Provinciis notificari
jussit, ut Confessarii ex fructibus pœnitentes dijudicarent, nec ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

CAPUT LVII.

Decimo ex mandato Innocentii XI. facta Procuratoribus Generalibus Ordinum Mendicantium, quo per eos Provincias notificari iussit, ut Confessarii ex fructibus pœnitentes disjunctarent, nec eos consuetudinarios absoluerent, qui post tertiam & quartam admonitionem sese non emendarent.

867 **I**D ex epistola R. P. Joannis Baptistæ à Sabbio, Procuratoris, & Commissarii Generalis Capucinatorum ad omnes sui Ordinis Provinciales scripta, probat Illustrissimus D. Castoriensis lib. 2. Amoris pœnitentis c. 7. §. 4. Ex mente enim & iussu Sanctissimi, scribit monendos Confessarios, ut ad correctionem vitæ, verumque de peccatis dolorem, ac firmum emendationis propositum pœnitentes suos inducant, eos etiam beneficio absolutionis privando, quos ex factis viderint non esse sufficienter dispositos & preparatos ad illam recipiendam.

Sed & eximius D. Nicolaus Josephus de la Verdure, S. Theologiæ Doctor & Professor primarius, in alma Universitate Duacensi, vir magna eruditionis & probitatis, in vindicis Tractatibus de modo quo Confessarius se gerere debet erga recidivos, a. 3. in fine testatur, ex testimonio duorum Provincialium diversorum Ordinum se accepisse, S. D. Innocentium XI. declarasse, suam intentionem esse, ut Confessarii non sint faciles in conferenda absolutione sacramentali mulieribus, quæ pectore & scapulis nimum denudatis incedunt. Quæ **SI POST TERTIAM ET QUARTAM ADMONITIONEM SE NON EMENDENT, EAS ABSQUE ABSOLUTIONE DIMITTANT.**

CAPUT LVIII.

Undecimo, praxis veteris Ecclesie demonstrat, plenam magnorum peccatorum conversionem pœnitentia operibus esse probandam.

868 **C**apite 55. & 56. vidimus quàm verè Morinus lib. 1. cap. 16. n. 1. assererit, quòd SS. Patres cuilibet peccatori jactanti crimina sua se odio prosequi, & ab iis cessare velle proficenti, non credebant. "Hujus rei experimentum exigebant, oculatas habebant manus, ut fert proverbium, credebant hæc in causa quòd valebant; nisi grave aliquod & imminens salutis periculum ab ista inquisitione eos arceret.

Et hæc veteris Ecclesie praxis ostendit: utpote quæ reos gravioris criminis, idololatriæ, homicidii, adulterii, fornicationis, &c. ne ad agendam quidem pœnitentiam admittit in solo verbo, vel lachrymis ipsorum momentaneis, sed probatos dumtaxat diuturnis humiliationibus, lachrymis multis, fidei-umque intercessione, simul & testificatione. Postquam (inquam) ex his satis apparuit, quòd peccata seridè desertari, emendareque vellent, ut contemptum est omnibus in antiquitate versatis.

869 Ideo etiam tantam temporis moram in probandis pœnitentibus, tot pœnitentiæ stationes, tot corporis afflictiones, tot & tantas humiliationes veteris Ecclesie requisivit, ut experiretur, nùm sincera integraque foret conversio ipsorum, & (ut Petrus Alexandrinus cum Gregorio Nysseno ait) *digna cui fides adhiberetur.* Quam profectò illius disciplina rationem, vel præcipuam, vel ex præcipuis unam fuisse, argumento est, quòd si quando ex animi ardore, laboribusque & humiliationibus subeundis devotione, atque totali veteris hominis immutatione, ante præscripti temporis finem, ple-

na eorum conversio Episcopis comperta fuisset, breviori tempore pœnitentes reconciliabant. Plenæ igitur conversionis, vitæque emendationis probationem veteres Patres intendebant, ab opinione Noviorum evidentissimè alieni.

870 **E**am quippe ob causam, tam longam pœnitentiam, totque illius stationes, afflictiones, & humiliationes, Ecclesia non requisisset, si plenam conversionem solis pœnitentium verbis, vel sterilibus lachrymis, sine aliis pœnitentiæ fructibus, satis probari credidisset. Nec est cur ipsorum absolutionem usque ad finem tertie vel quartæ stationis distulisset, si ipsos ad absolutionem, in solo verbo ipsorum, satis dispositos, istamque dispositionem, sine aliis pœnitentiæ fructibus, satis probatam censuisset. Sed istum non fuisse sensum ipsius, tunc maximè ostendit, cum maxima Christianorum multitudo, quos dira persecutio, Cypriani tempore, prostraverat, ad Ecclesiam redire gestiens, Sacramentorum participationi misericorditer restitui postulavit, cumque in finem Martyres apud Ecclesiam deprecatores adhibuit. Sed nec Martyrum deprecationibus, nec lapsorum lachrymis, nec turbis ac tumultibus subsecutus Ecclesia moveri potuit ad ipsos reconciliandos, antequam pœnitentiam ipsorum duris ac diuturnis pœnitentiæ laboribus probatam haberet, ut videre est apud Cyprianum epist. 52. ad Antonianum, & epist. 55. ad Cornelium, tamen nonquam se obulerit causa opportunior ad misericordiam, quàm tunc.

871 **P**orò sicut iste non fuit veteris Ecclesie sensus, de peccatorum graviorum reis: sic nec iste est Ecclesie modernæ sensus, de peccatoribus in graviora, v. g. in hæresim relapsis, ut constat ex dictis cap. 21. Nec iste etiam hodie sensus est de consuetudinariis, ut vel inde patet, quòd Ecclesia moderna per Innocentium XI. damnaverit propositionem hanc ordine sexagesimam: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesie, etsi emendationis spes nulla appareat, non est negandu nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Neque enim propositionem istam Ecclesia damnasset, si verbis ipsius, absque actuali emendatione, fidem adhiberi posse credidisset: quam adhiberi non posse certum est, dum emendationis spes nulla apparet: quia dum verba, quibus emendationem pollicentur, digna non sunt, quibus adhibeatur fides; præsumptio moraliter certa est, verba ista non procedere ex toto corde, neque ex plena & efficaci se emendandi voluntate.

872 **E**mendationis verò spes nulla apparet, dum consuetudinarius (sicut est de recidivo) sæpius emendationem promissit, nec promissa umquam implevit, nec majorem jam affert cautionem futuræ emendationis suæ, quàm hæcenus attulit. Ut enim sanctus Thomas ait 2. 2. q. 49. a. 1. ad 3. *ex præteritis oportet nos quasi argumentum sumere de futuris.* Postquam ergo Confessarius experientia didicit, pœnitentem sæpius emendationem absque effectu promississe, inde quasi argumentum sumere debet, quòd nec in futurum se emendabit, nisi manifestiora futuræ emendationis signa afferat, quàm ea hæcenus absque effectu attulit. Verum de ista propositione condemnata plura dicturus sum infra, ubi doctrinam, quæ peccatores quoscumque, quàmlibet recidivos, & consuetudinarios, docet absolvendos esse, in verbo quo se ad absolutionem dispositos aiunt, ostendam esse condemnatam, non solum propositione illà 60. sed & 1. 2. & 3. per eundem Innocentium XI. damnatis, ac per consequens sensui Ecclesie modernæ prorsus contrariam.